

et traditione conferendo : non quod ullatenus de veritate Scripturarum aut decretorum fidei dubitent, sed ut magis ac magis in eis firmentur, sintque omnibus de iis inquietibus respondere parati, et refractarios revincere magis idonei. Sic Patres Ephesini examinaverunt epistolam S. Leonis, nullatenus de ejus veritate dubitantes, ut superius diximus. — Item, si, facto examine, approbavit synodus epistolas Agathonis : ergo approbavit, examine facto, infallibilitatem Romani Pontificis in eis clare assertam.

In VIII concilio generali, Constantinop. IV, anno 869, contra Photium, nullus admissus fuit, quin prius formulæ fidei ab Adriano II missæ subscrisisset. In hac autem fidei formula continentur sequentia : « Quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, haec quæ dicta sunt rerum probantur eventibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum et præcipue sanctorum Sedis Apostolicæ præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, simul cum iconomachis. » En in concilio generali admissa infallibilitas Romani Pontificis fundata in verbis Christi : *Tu es Petrus*, etc.

In concilio Viennensi, Clemens V, Clementina *de summa Trinit.*, § *Nos igitur*, definit quod « ad Apostolicam considerationem DUMTAXAT declarare pertinet » quæ in Scripturis obscura sunt.

Clemens VI, ipse Gallus et doctor Parisiensis, quatuordecim doctrinæ articulos Armenis recenter ad fidem catholicam conversis proposuit, quibus deberent subscribere, si Romanæ Ecclesiæ integræ vellent consociari. Horum quintus sic erat : « Si credidisti et credis, quod in tantum fuerit, sic et erit suprema et preminens authoritas et juridica potestas Romanorum Pontificum, et illorum qui in posterum erunt; ut a nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt, sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur et servabuntur; et quod a sententiis

et judiciis nostris non potuerit, neque possit, neque poterit ad aliquem judicem alium appellari? » Decimus tertius sic habebat : « Si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere; et esse verum et catholicum quidquid ipse, auctoritate clavium sibi traditarum a Christo, determinat esse falsum et hæreticum, tale sit censendum? » Hæc apud Odoricum Raynaldum, in *Annibus*, ad an. 1346 et 1351.

[Re]legantur decreta conciliorum de primatu Pontificis Romani in art. præced. citata, et præcipue decretum Florentinum quo declaratur Papam « omnium Christianorum patrem ac doctorem existere. »]

Dices : Summi Pontifices quos huc usque laudavimus, locuti sunt in propria causa. Ergo eorum testimonia nihil probant.

Resp. 1º *Dist.* ant. Summi Pontifices locuti sunt in propria causa palam et nemine contradicente, *conc.* ant.; aliis contradicentibus, *nego* ant. et *conseq.* Sic, dum in tota retro antiquitate, episcopi suæ sedis, reges et principes sui throni jura defendebant actis publicis quibus nemo contradicebat, admittebantur eorum testimonia. Quidni et Pontificum admittantur, qui monumentis et actis publicis, quibus nemo suo tempore contradixit, privilegia suæ Sedis testati sunt et propugnarunt?

2º Pontifices laudati, non eruditione solum, sed vitæ probitate fuerunt conspicui, et plures inter illos sancti numerantur. Nulla est ergo ratio suspicandi quod ex superbia et ambitione privilegia infundata et injusta sibi vindicare voluerint.

[Doctrinam ab antiquis conciliis expressam et a Pontificibus sancitam enucleatus definivit synodus Vaticana, constit. *Pastor aeternus*, cap. 4, *de Romani Pontificis infallibili magisterio*. Hoc decretum, quo finis fuit impositus

concertationibus circa hanc gravem quæstionem motis, integre hic inserimus.

« Ipso autem Apostolico primatu quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumonica concilia, ea imprimis in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhærentes, hanc solemnem ediderunt professionem : « Prima salus est, recte fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fidei et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christiana religio-nis soliditas¹. » Approbante vero Lugdunensi concilio secundo, Græci professi sunt, « sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum princeps sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. » Florentinum denique concilium definit, « Pontificem Romanum verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in

1. Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Adriano II Patribus concilii œcumениi VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

» beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. »

» Hinc pastorali muneri ut satisfacerent, prædecessores nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, pari cura vigilarunt ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites, nunc singuli, nunc in synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula quæ in negotiis fidei emergebant ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum¹. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis conciliis aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis quæ divina suppeditabat providentia adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt quæ sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus sanctus promisus est ut, eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apóstolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter expoperent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu, aliquando conuersus, confirma fratres tuos*.

» Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelsa suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grec per eos ab

1. Cfr. S. Bern., epist. 190.

erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutritur, ut, sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consistenter.

» At vero, cum hac ipsa ætate, qua salutifera Apostolici muneri efficacia vel maxime requiritur, non pauci inventantur qui illius autoritati obrectant, necessarium omnino esse censemus, prærogativam quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

» Itaque Nos, traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definitum: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro supraemta sua apostolica autoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.

» Si quis autem huic nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.»

Hic habes, non tantum Pontificem Romanum ex cathedra loquentem esse infallibilem, sed rationes, naturam et extensionem hujus infallibilitatis.]

§ V

Probatur conclusio ex Patribus, episcopis et theologis Gallicanis.

1º Patres concilii Arelatensis, anno 455, in epistola synodica ad sanctum Leonem dicunt: « Apostolatus vestri scriptum (indubie celebrem epistolam ad S. Flavianum,)

ita ut symbolum fidei, quisquis sacramenta Religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, et tenaci, ad confundendos hæreticorum errores ut paratior sit, memorie commendat. »

2º Anno 517, S. Avitus, episcopus Viennensis, nomine Ecclesiæ Gallicanæ agnoscit summum Pontificem ut supremum judicem in causis fidei. Sic enim epist. ad Hormisdam Papam scribit: « Quæsumus ergo, servitio meo juncto, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam instruatis; quia, jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliae devotione policeor, omnes vestram, super statu fidei, captare sententiam. Orate ut sic nos prædictorum confessio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat. » Idem concilium Turense, anno 567, ad quod convenerat universa pene Ecclesia Gallica.

3º Anno 1324, Stephanus, Parisiensis episcopus, occasione bullæ canonizationis S. Thomæ Aquinatis, ejusdem Academiæ Doctoris, edidit decretum, de consensu decani et Capituli Parisiensis et magistrorum dictæ Universitatis, ut fert edictum, sequentis tenoris: « Nos igitur attentes quod sacrosanta Romana Ecclesia, OMNIUM MATER ET MAGISTRA, in firmissima Petri, Christi Vicarii, confessione fundata, ad quam, velut ad UNIVERSAM REGULAM CATHOLICÆ VERITATIS, pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum et confutatio errorum, etc. »

Paucis post annis, eadem Academia obtulit Clementi VII, Avenione residenti, quem Gallia pro vero Pontifice agnoscet, tractatum theologicum in quo asserebat et probabat infallibilitatem Romani Pontificis in quæstionibus fidei, iisdem authoritatibus Scripturæ et Patrum quibus eam probamus.

4º Ejusdem sententiae erat tota natio Gallicana anno 1305, cum regni proceres nationis nomine petebant, dato libello ad Clementem V, ut Bonifacii VIII memoriam damnaret. Dicebant enim: « Non quæritur de hæresi Papæ

quondam, ut Papæ, sed ut privatæ personæ. NEC ENIM UT PAPA POTUIT ESSE HÆRETICUS, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, IN QUANTUM PAPA, fuit hæreticus. » Quo testimonio non solum evincitur conclusio ex mente nationis, sed etiam habetur hanc distinctionem inter Papam ut Papam et ut hominem privatum, non esse recens inventum, ut quidam effutint.

Anno 1579, Clerus Gallicanus, in comitiis generalibus Meloduni adversus Lutheri et Calvini errores, sic præcipit: « Clerici et laici aperta professione eam fidem pronuntiant, quam sancta Romana ECCLESIA, MAGISTRA, COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS, profitetur et colit. Ad hanc enim, propter suam principalitatem, necessum est OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM. » Et in fine articulorum subjungitur: « Omnia hæc sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius ex præceptis populum fidelem institui et CERTAM FIDEI AC MORUM CORRECTIONIS REGULAM constitui oportet, judicio et authoritati subjecimus. »

5º Anno 1626, comitia generalia Cleri Gallicani, articulo 1637, statuunt, « hortandos episcopos uti Sedem obseruant Apostolicam, Ecclesiamque Romanam infallibili Dei promissione fundatam... Petro cum clavibus datam INFALLIBILITATEM FIDEI, quam videmus, divinæ potentie miraculo, IN PETRI SUCCESSORIBUS, ad hodiernum usque diem, IMMOBILEM permanere. »

6º Anno 1653, octoginta quinque episcopi, in comitiis congregati, petunt ab Innocentio X judicium de libro Jansenii, hac potissimum ratione, quod « majores causæ ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos esset, in qua fides Petri NUNQUAM DEFICIENS PERPETUO CONSERVATUR. » Et anno 1654, gratias agentes eidem Pontifici pro condemnatione libri Jansenii, datis litteris dicunt: « Perspectum habemus, non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, judicia pro sancienda REGULA FIDEI a summis Pontificibus lata super episcoporum consultatione DIVINA ATQUE SUMMA per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur, seu

suam episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant; » hoc est, seu consultantium episcoporum consensus accedat, seu non accedat. Ergo Romani Pontificis judicium est infallibilis fidei regula, independenter a consensu Ecclesiæ.

[7º His testimentiis pristinæ doctrinæ Ecclesiæ Gallicanæ circa inerrantiam Pontificis Romani, addenda sunt decreta recentiorum conciliorum provincialium quæ in Gallia ab anno 1849 huc usque fuerunt congregata. Ab his fere omnibus innovatum fuit decretum Florentinum, quo doceatur « Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere. » Ab aliquibus etiam fuit assertum eius judicia de fide et moribus esse per se irreformabilia. Inter hæc concilia citari possunt Suessionense, Senonense, Burdigalense et Remense, ut taceatur de his quorum acta præ manibus non habemus.]

§ VI

Probatur conclusio rationibus.

Prob. 1º. Sic arguo cum nostro Hyacintho Serry. Istud judicium in materia fidei est irreformabile, quod est supremum et ultimum, post quod non datur aliud superiorius ad quod appellari possit. Atqui tale est judicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra, in materia fidei et morum. Ergo. — Maj. patet.

Prob. multipliciter min. 1º Ex tribus Pontificibus Bonifacio I, Gelasio I et Nicolao I. Is, epist. 8, ad Michaelem Imperatorem sic loquitur: « Patet profecto Sedis Apostolice, cuius autoritate MAJOR NON EST, judicium a nemine fore retractandum, NEQUE CUIQUAM DE EJUS LICEAT JUDICARE JUDICIO. » Juxta quod Bonifacius Papa, Rufo et cæteris episcopis per Thessalam constitutis scribens, ait: « NEMO UNQUAM Apostolico culmini, de cuius judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit; NEMO IN HOC

REBELLIS exstitit, nisi qui de se voluit judicari. » Et B. Papa Gelasius : « Ipsi sunt canones qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluerunt deferri ; AB IPSA VERO NUSQUAM PRORSUS APPELLARI DEBERE SANXERUNT : ac per hoc illam DE TOTA ECCLESIA judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. »

Prob. 2º ead. min. ex Augustino, qui, ut vidimus, judicium Innocentii I contra Pelagianos pro finali et irreformabili habuit, dum dixit : « Rescripta Roma venerunt, causa finita est. » Id etiam constat ex pluribus aliis Patribus a nobis prius laudatis.

Prob. 3º eadem min. 1º Appellans in causa appellationis eximitur a jurisdictione illius a quo appellat, et ab ejus obedientia recedit. Atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione summi Pontificis, alioquin non esset amplius ejus ovis, consequenter nec fidelis; neque ab ejus obedientia recedere, cum sit supremus omnium rector, pastor et superior. Ergo. 2º Judex a quo appellatur non debet dare et designare appellanti judicem ad quem, alias ageret contra seipsum. Atqui solius est Romani Pontificis indicere, congregare, confirmare et robur tribuere concilii œcumenicis. Ergo judicium Romani Pontificis est ultimum in Ecclesia, consequenter infallibile et irreformabile. — Patet conseq., quia, si esset tribunal ad quod a Papa posset appellari, foret indubie concilium generale.

Prob. conclusio alia ratione. In Ecclesia a Christo bene ordinata debet admitti judex semper permanens et vivens, qui Scripturas, traditiones et controversias de fide ac moribus exsurgentibus infallibiliter interpretetur et dirimal. Atqui is non est alias quam Romanus Pontifex. Ergo. — Prob. min. Iste judex supremus et infallibilis semper vivens non est cuiusque spiritus privatus, non princeps sæcularis, ut olim diximus, non concilium generale; quia, licet Pontifice præidente, sit regula infallibilis fidei, non sufficit tamen, quia rarissime et difficillime congregantur concilia generalia, et tamen continuo in Ecclesia oriuntur controversiae de fide ac moribus, ad quas dirimendas præsto adesse debet judex. Ergo.

Dicunt adesse Ecclesiam universam, cuius consensu accedente fit irreformabile et infallibile summi Pontificis judicium. Ita quarta propositio Declarationis triginta quatuor episcoporum Gallicorum de qua supra. Et haec videatur epocha hodiernæ sententiae Gallorum, quæ licet ex usque dictis confutata maneat, juvat tamen ex absurdis quæ ex illa sequantur specialiter illam impugnare. Unde sit

§ VII

Probatur conclusio ex absurdis adversæ sententiae.

Si summi Pontificis judicium non sit infallibile in quæstionibus fidei et morum, nisi ex consensu Ecclesiae,

Sequitur 1º quod Pontifex infallibilitatem suam mutuet ab Ecclesia, sicut quod Ecclesia non sit fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia; quod Petrus non pascat oves, sed oves pascant Petrum; quod Petrus non confirmet fratres in fide, sed fratres Petrum confirmant : quæ sunt aperte contraria Scripturis.

Sequitur 2º quod summus Pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis, quam episcopus minimæ dioecesis. Hic enim definit aliquid de fide et suis dioecesanis proponat credendum, si accedat consensus cæterorum episcoporum, judicium ejus erit infallibile. Idem dici potest de judicio simplicis pastoris ac doctoris. Atqui consequens est absurdum et a Scripturis ac tota traditione prorsus alienum. Ergo.

Sequitur 3º fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum et firmum cui, assensu fidei, adhaereant. Quæro enim qualis Ecclesiæ assensus requiratur. An totius Ecclesiae, an majoris partis, an minoris, puta unius provinciæ vel nationis? Non hoc ultimum; quo jure enim hæc unius provinciæ vel nationis Ecclesia conferret Pontifici infallibilitatem quam non habet? Non primum; alioquin sufficeret dissensus unius vel alterius episcopi aut fidelis ad infirmandum judicium summi Pontificis, sicut nullum unquam erit infallibile. Insuper quomodo et quando

posset haberi consensus episcoporum et fidelium qui sunt in Indiis orientalibus et occidentalibus? Et interim fideles fluctuabunt et haereses grassabuntur. Non denique secundum: 1º Quia, ut modo dicebam de tertio, unde pars Ecclesiæ, etsi major, et non tota Ecclesia, habet infallibilitatem quam tribuat Pontifici? 2º Quis dinumerabit partes consentientes, ut dignoscatur an major pars adhæreat? Quis hunc consensum fidelibus annuntiabit? Id ab exordio Ecclesiæ novimus semel factum occasione bullæ *Unigenitus*, cui tamen nec omnes obediunt. Quid vero de innumeris de quibus id non est factum? Quid de futuris, de quibus non est credibile quod unquam fiet? Interim nullus fidelis tenebitur assensum fidei præbere decretis pontificis; nemo enim tenetur nec potest assentire fidei divina, nisi autoritati quam certo novit infallibilem, quia fidei non potest subesse falsum: sieque quilibet suo arbitrio dimittetur, et, ut modo dicebam, haereses grassabuntur et vires accipient. 3º Si sufficiat assensus majoris partis, non est quod tanto zelo disputent Galli; cum enim, iis exceptis, omnes aliae ecclesiæ, ad minus tres partes totius universitatis, agnoscent summum Pontificem infallibilem, nullum ab eo dimananat decretum ex cathedra, quod non recipiatur a majori parte Ecclesiæ.

At, inquit, debet acceptari prævio examine. — *Dist.* Prævio examine, ut intelligatur quid contineat, conc.; ut tamquam dubium aut erroneum reformatum, nego. Alioquin contingere posset quod tres partes Ecclesiæ cum Pontifice errarent in fide, et sola Gallia sine summo Pontifice servaret veram fidem. Insuper unde fideles cognoscere certo poterunt omnes episcopos prævio examine acceptasse? Quousque autem id rescient, fluctuabunt, assensum fidei præbere nec tenebuntur nec poterunt. Ubi ergo erit fides Ecclesiæ? Ubi Ecclesia?

§ VIII

*Præcluditur commune et præcipuum effugium
adversariorum.*

Quæcumque hoc usque ex Scriptura, Patribus, conciliis,

Pontificibus, theologis, etc., pro infallibilitate Romani Pontificis protulimus, adversarii accipiunt dicta, non de homine sedente in cathedra Petri, sed de ipsa cathedra, de Sede Romana, de Ecclesia Romana, et, ut quidam dicunt, quod idem est, de serie et successione Romanorum Pontificum; ita ut sensus sit, cathedram Petri, Sedem Romanam, Ecclesiam Romanam esse infallibilem, et nunquam defecturam in fide: quod si contingat unum Pontificem deficere, a successoribus emendabitur, sieque fides remanebit semper in Sede Romana, in cathedra Petri, in Ecclesia Romana. Et in hunc finem laudant illud celebre dictum S. Leonis, epist. 53, ad Anatolium: « Aliud sunt sedes, aliud sedentes, » et quia alioquin, inquit, moriente Pontifice, deficeret, seu periclitaretur fides Ecclesiæ.

Præter illa quibus jam hinc et inde istam intelligentiam confutavimus, præterquam quod plura testimonia quæ protulimus adscribant infallibilitatem, non solum Sedi aut cathedra Petri, vel Ecclesiæ Romane, sed ipsi sedenti et ipsi Pontifici, etiam quandoque ejus nomine expresso; præter hæc, inquam,

Quæro nunc tantum, quid intelligent per Sedem et cathedram Petri, seu Ecclesiam Romanam. An quæ in ambitu urbis Romæ continentur? An Ecclesiam universam seu catholicam? Video enim quosdam intelligere Ecclesiam urbis Romæ, alias Ecclesiam universam; imo eosdem modo intelligere Ecclesiam urbis Romæ, modo universam, secundum quod argumentis premuntur.

Si intelligent Ecclesiam quæ in ambitu urbis Romæ continetur: nunquam summus Pontifex aliquid fidei definit ex cathedra, quin habeat Ecclesiam urbis Romæ consentientem, tum quia illam consultit in præcipuis ejus membris, tum quia ipsa definitis a Pontifice statim annuit; sieque Pontifex definiens ex cathedra semper est infallibilis.

Si intelligent Ecclesiam catholicam et universam, contradicunt aperte Scripturæ in tribus locis prima probatio allatis, in quibus probavimus dignitatem fundamenti Ecclesiæ, pastoris Ecclesiæ, confirmatoris fratrum, unde

sequitur infallibilitas, soli Petro, et non toti Ecclesiæ esse traditam. Contradicunt item traditioni et toti retro antiquati, decretis conciliorum et summorum Pontificum, Patribus, theologis, sibimet ipsis. Etenim SS. Patres, concilia, Pontifices, theologi quos laudavimus, ipsimet adversarii, dicunt Ecclesiam Romanam, quam superbæ inferorum portæ non vincunt, ad quam perfidia non potest habere accessum, quam denique agnoscunt esse infallibilem, esse Matrem et Magistrum omnium Ecclesiarum, centrum unitatis ecclesiasticæ, unde sacerdotalis unitas orta est, ad quam omnes ecclesiæ necesse est convenire, Ecclesiam esse in ea fundatam, et plura similia. Palam est autem hæc dici non posse de Ecclesia universa, cum præter illam nullæ sint ecclesiæ. Quid enim est universa Ecclesia, quam omnes ecclesiæ simul sumptæ? Totum autem non distinguitur a partibus simul sumptis. Non potest ergo dici de Ecclesia universa, quod sit Mater et Magistra omnium Ecclesiarum, sicut non potest dici quod quis sit pater et magister sui ipsius; neque quod sit centrum unitatis, sicut omnes lineæ non possunt esse centrum eujusque lineæ; neque quod ab ea sacerdotalis unitas oriatur, cum ipsa sit sacerdotalis unitas; neque quod ad eam alias ecclesiæ convenire necesse sit, cum præter illam, ut dictum est, non sint aliæ; neque quod Ecclesia sit in ea fundata, alias esset in seipsa fundata. Denique dignetur studiosus lector attendere ad testimonia quæ protulimus: vix unum reperiet quo ista exotica interpretatione non confodiatur.

Quantum ad dictum S. Leonis, indubie aliud sunt sedes, aliud sedentes. Sedes est nomen autoritatis, dignitatis et officii; sedens est nomen personæ autoritatem, dignitatem et officium obtinentis: eoque significatur, eum qui habet autoritatem et officium non semper agere ex autoritate et officio; sive Romanum Pontificem posse non agere ex officio pontificio, sed se gerere ut privatam personam, quod nihil juvat adversarios, nec nobis nocet.

Ad id quod addunt de Pontifice mortuo, respondet

Cano, lib. IV *de Locis theologicis*, cap. ultimo, quod, « mortuo summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in ea Spiritus veritatis; sed manca et diminuta, sine Christi Vicario et Ecclesiæ uno pastore, relinquitur. Quocirca, licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit (non enim est in solo Pontifice passive), at, si controversiæ fidei et religionis orientur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris non adeo certa erunt. »

Instant: Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur inde quod Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit in æternum permanens. Falsum consequens. Ergo.

Resp. Præter solutionem huic instantiæ jam superius datam, *dist. sequelam*. Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri physice et entitative, sequitur, etc., *conc.*; si intelligatur persona Petri moraliter, id est ipsa ejus dignitas, authoritas, jurisdictio et doctrina, sequitur, etc., *nego sequelam* et ejus probationem. Hæc enim, moriente Petro, virtute perseverant in Ecclesia et ad ejus successores transeunt; sicut, moriente rege, non perit regnum, quia remanent dignitas, authoritas, jurisdictio, qua transeunt ad successores.

ARTICULUS IV

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º: Si summus Pontifex sit infallibilis in quæstionibus fidei et morum definiendis, inutilia sunt concilia generalia. Falsum consequens. Ergo. — Patet sequela; quia Pontifex, hoc ipso quo est infallibilis, potest se solo, absque concilio, omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire. Ergo.

Resp. Nego sequelam. — Ad probat., *dist. ant.* Summus Pontifex potest se solo, absque concilio, omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire, et

simul potest se solo, absque concilio, æque efficaciter hæreticorum proterviam reprimere, perfinaciam frangere, tumultus sedare, media executioni definitionum idonea providere, *nego*; et hæc se solo non potest æque efficaciter, *conc.* et *nego* *conseq.* Itaque per se absolute non sunt necessaria concilia generalia ad certam et infallibilem veritatis definitionem contra hæreticos. Quot enim hæreses ante primum concilium generale Nicænum, et etiam secutis temporibus, a solis Pontificibus Romanis absque conciliis generalibus fuerunt irretractabiliter damnatae! Per accidens tamen sunt quandoque necessaria, aut saltem valde utilia, tum ad reprimendam hæreticorum tumultuantium audaciam et eorum perfinaciam frangendam, facilius quippe et cum minori verecundia ceditur omnibus quam uni; tum ad faciliorem et efficaciorem decretorum executionem, quatenus omnes omnium nationum episcopi eis subscribunt, et profitentur se illa amplecti et illorum executionem suis dicecesanis demandaturos. Item melius innotescunt singularium provinciarum necessitates et mores, quæque media sint unicuique adhibenda ad occurrentum gliscenti errori, et ad legum ac decretorum observantiam promovendam; quod enim convenit Italæ vel Germaniæ, forte non proderit Galliæ aut Hispaniæ; sicut enim corporum, ita morum est varia complexio.

Hinc occurrit variis instantiis quas petunt ex convocatione conciliarum, etiam post jam damnatas a summis Pontificibus hæreses. Sic Cælestinus hæresim Nestorii damnaverat, sed non extinxerat, propter potentissimos Nestorii amicos et defensores; et ideo fuit necessaria convocatio synodi Ephesinæ, ut opportunis remedii hæreticorum vesania comprimeretur, hæresis progressus sisteretur et Catholicorum fides muniretur. Sic S. Leo, in Epistola celebri ad S. Flavianum, Eutychianam hæresim damnaverat; sed, quia Dioscorus et alii in latrocino Ephesino eam rejecerant ut Nestorianam, Flavianum verberibus et plagiis affecerant atque ejecerant, imo et adversus S. Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari synodus Chalcedonensem, ut hos tumultus sedaret et tot malis occurreret.

Obj. 2º: S. Cyprianus, doctrina et sanctitate conspius, Stephano Papæ definiens non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos restitit, cum pluribus episcopis Africanis. Ergo ipse non agnoscebat summum Pontificem infallibilem, nec infallibilis tunc habebatur in Ecclesia.

Resp. Nego utrumque illatum; quia questionem de baptismo hæreticorum iterando Cyprianus nunquam apprehendit pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantum, nec illam ut fidei dogma definit ex cathedra Stephanus. Duplex itaque questio hic est distinguenda: prima, an invalidum sit baptismus hæreticorum; secunda, an sint rebaptizandi ab hæreticis baptizati. Prima est speculativa, et ad fidem pertinet; secunda est discipline, et proxim spectat. Stephanus autem, intacta prima quæstione, secundam prohibuit, jussitque nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius; idque, non per decretum solemne toti Ecclesiae directum, sed per rescriptum in litteris privatis ad Cyprianum et collegas. Quod sic refert Cyprianus, Epist. 74, ad Pompeium (ab eo enim solum illud novimus): « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam. » Unde Aug., lib. II de Bapt. cont. Donat., cap. 9, n. 14: « Consuetudinis labore, inquit, tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere voluntibus novitatem. » Neque etiam illud rescriptum tamquam Sedis Apostolicæ decretum ex cathedra habuit Cyprianus, siquidem, teste Augustino, ibid., c. 7, n. 42, « nondum erat diligenter (tempore Cypriani) illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia. » Quod autem nondum erat sufficienter pertractatum et discussum, non potuit proponi tamquam decretum Sedis Apostolicæ et articulus fidei. Unde objectio non militat contra conclusionem, quæ est de infallibilitate summi Pontificis loquentis ex cathedra in controversiis fidei. Hanc responsionem multis momentis probavimus in Digress. hist. ad dissert. V de Sacram. in genere, sect. 4,

ubi plura quæ contra objiciunt adversarii præoccupata et soluta reperies.

Inst. 1º : Stephanus, definiens non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, supposebat eorum baptismus esse validum : id saltem ex definitione inferri poterat. Ergo.

Resp. hic non agi de suppositione vel illatione, sed de definitione ex cathedra. Quidquid in mente habuerit Stephanus, constat nihil aliud definitivisse, quam ut « nihil innovaretur, » sive teneret de fide istud baptismus esse validum, sive tantum ut quid certius haberet. Neque, ut dictum est, id definitivum ex cathedra.

Inst. 2º : Etsi Stephanus definitivisset ex cathedra, tamquam fidei dogma, validum esse baptismus hæreticorum, et ab ipsis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisse illi acquiescere Cyprianus. Ergo. — *Prob. ant.* ex Augustino, lib. II *de Bapt. cont. Donat.*, cap. 4, n. 5, ubi dicit : « Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima autoritate firmati, cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas aliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur. » Ergo, juxta Augustinum, solius concilii plenarii, et non Romani Pontificis judicio, acquiescere tenetur.

Resp. Nego conseq. Sensus namque Augustini est quod non auderet asserere, scilicet ut fidei dogma, sicut tunc asserebat, cum hæc dicebat contra Donatistas, baptismus hæreticorum esse validum, et non esse rebaptizandos ab eis baptizatos, nisi id definitum fuisset in concilio generali; quia solum concilium generale id definierat ut dogma fidei, et non Stephanus, cuius ætate nondum satis aliquata et discussa erat hæc quæstio, et qui novitatem opponebat tantum antiquam consuetudinem, ut dicit ipse Augustinus. Unde per hæc verba Augustinus non intendit infallibilitatem judicii pontificii excludere, sed infallibilitatem concilii asserere; sicut, si de propositione a concilio Tridentino definita dicerem: « Hanc propositionem non auderem asserere, si a concilio Tridentino non esset definita. » Male quis inde inferret me denegare

infallibilitatem summo Pontifici, et soli concilio Tridentino tribuere. Nulla enim sit ibi comparatio inter concilium et Pontificem, sic ut unum dicatur infallibile, et alter fallibilis; sed sensus planus est : « Audeo asserere hanc propositionem ut doctrinam fidei, quia concilium Tridentinum, quod est infallibile, eam definivit, et nullus alius qui sit infallibilis eam definivit. »

Obj. 3º : S. Petrus his erravit in fide : 1º quando negavit Christum, tempore passionis; 2º quando Antiochiae, post ascensionem, observavit legalia et gentes coegerit iudaizare, qua de causa fuit reprehensus a Paulo.

Resp. ad 1º, S. Petrus negasse Christum ore tenus, non corde. Ita interpretantur communiter SS. Patres. Et esto corde negaverit, nondum erat tunc Pontifex constitutus, nec Ecclesiam universam docebat.

Ad 2º, Petrus deliquerit observando legalia, « non falsi prædicatione, sed imprudenti conversatione, » inquit Augustinus, Epist. 40¹ et 82² ad Hieronymum. De isto facto latius scripsi in tract. *de Relig.*, Digress. hist. ad calcem dissert. IX, in majori Opere.

[*Adde quod*, etsi Petrus non habuisset privilegium infallibilitatis ut Pontifex, illud habuisset saltem ut Apostolus; omnes enim Apostoli illapsu Spiritus sancti, in die Pentecostes, sic in fide confirmati sunt, ut nullus posset ab ea excidere. Unde nullo titulo supponi potest Petrum quoad legalium observantium falsum docuisse. Si forte practice deliquerit, opportunum judicando quod Paulo displicuit, ejus culpa gravis non fuit, propter rationem a S. Thoma datam, in cap. II epist. *ad Gal.*, lect. 3 : « Dicendum quod, post gratiam Spiritus sancti, nullo modo peccaverunt mortaliter Apostoli, et hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat. Ps. LXXIV, 4 : *Ego confirmavi columnas ejus. Pecca-*

1. Olim 9. — 2. Olim 19. In hac posteriori epistola, quæstio præsens fusissime discutitur, et plures asserit Augustinus quod, ita agendo, Petrus « per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrificaret, non mentientis astu, sed compatientis affectu. »